


7



COPIA BREVIS APOSTOLICI.

Foris Dilectis Filijs Nobilibus Viris Ordini Senatorio Regni Poloniæ.

Intus **CLEMENS PAPA XI.**



Ilecti Filij, Nobiles Viri Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Si unquam pro Religionis, ac Patriæ tutela, pro tranquillitate, ac libertate istius Regni Nobilitates Vestræ, sua in unum jungenda consilia, viresque in commune bonum unanimi studio conferendas esse constituerunt, id certè præstandum omnino esse videtur hoc tempore, quo incitata in vos, ut fert rumor ab Acatholico Principe nefarii Turcarum Tyranni potentia, bellum Vobis indicere parat arreptâ occasione contentionum, per quas in partes scissam esse inpræsens Rempublicam Vestram arbitratur. Hinc satis constat, quid Vobis maximè profuturum sit ad refringendam hujusmodi hominum audaciam, si aliquid contra Vos aggredi velint; cùm enim ipsi spem præcipuam provehendi suos conatus in dissidijs istic æstuantibus constituant, Vos certè tutissimam adversùs eos inibitis viam, si concilia tam inter Vos, firmiterq; constabilitam concordiam tanquam firmissimum propugnaculum eorum furori opponere curabitis. Ea siquidem de bellica virtute strenuæ Nationis Vestræ apud omnes homines invaluit opinio, ut nemo sit, qui ambigat, quin Poloni, si adversus infidelium acies, utcunque milite refertissimas, eâ, quâ par est, animorum conjunctione in campum prodeant, victorias sibi polliceri possint non utique minores illis, quas de eisdem Barbaris numero etiam longe dispari, ut annalibus traditum est, sæpe sæpius retulerunt. Hanc ipsam consiliorum societatem ut modò invicem retineatis de Vestra salute soliciti paterno affectu Vos etiam atq; etiam hortamur; memores enim, esse debetis, ijs Vos vinculis invicem obstrictos esse, à quibus non modò Vobis indecorum, sed planè nefas & piaculare esset, si cuperetis exolvi, nam præter charitatem erga Patriam (quæ ratio plurimum semper ponderis apud illustres Nationes habuit ad conciliandam Civilem pacem) commune Vobis esse debet studium servandi integritatem Catholicæ Religionis, quæ vix stare potest cum simultatibus, & odijs, ac ne vix quidem ubi confoveantur ab ijs, qui eandem Religionem aversantur; Accedit etiam debitum datæ jurejurando non semel fidei Charissimo in

Christo

Christo Filio Nostro AVGVSTO Poloniæ Regi, cui sine nota Nominis Vestri, sine labe conscientiæ, sine divinarum humanarumq; legum prævaricatione minimè Vobis licet deesse. Quamobrem seriò Vobiscum expendite, quid Vobis coram Deo, & hominibus in hoc rerum statu maximè congruat, ac verè expediat, atq; ex dictamine Vestræ pietatis atq; prudentiæ, salutaria consilia suscipite; & Deus, qui unanimes diligit, & rectos corde, propitiabitur Nobilitatibus Vestris, quibus Nos in lætorum eventuum auspicium Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die nonâ Maij M. DCCXI. Pontificatûs Nostri Anno Vndecimo.

Vlysses Ios: Card. Gozzadinus.

ne no-
huma-
leesse.
Deo,
xpedi-
a con-
corde,
even-
r im-
nulo
i An-
us.